

autem ab eodem refertur inter figuras, sicut & à Fabio l. 9. c. 2. cum in hyperbole fiat vocis immutatio: in figurâ non item. Nota hîc 1. Si hyperbole est in uno verbo, ad Rhetoricam pertinet: Si verò non est in uno verbo, sed in tota oratione est argumentum Logicum, nec tropus est: ut, puella nive candidior: Ocyor Euro. In quibus est comparatio major. & minor. 2. Etiam si hyperbole rei veritatem vel augent vel imminuunt, non tamen mendacia proprie dicta sunt. Quia 1. in iis τὸ ἔντρον & proprietates vocum nō spectatur, sed Ἀλόγοια 2. quia in illis non est fallendi propositum, nec voluntas dicendi falsum. 3. quia non est in illis inæqualitas orationis & mentis que necessario ad mendacii constitutionem requiruntur. Alii hîc distinguunt inter mendacium malitiosum sive perniciosum, quod alienum omninò à Rhetore esse debet: & officiosum sive jocosum, quale Poeticum, Ironicum, & hyperbolicum, quod recreationis duntaxat & ornatus gratia licitum.)

8. Species ejus duæ sunt, Ἀυξήσις Amplificatio sive exuperatio, & Μείωσις extenuatio.

9. Ἀυξήσις est, qua veritas superatur rei augendæ gratia, ut, Scelus, pro, scelerato. Carcer, pro carcere digno. Pestis, pro pestifero. Debacchari, pro, convitiari. Il clamor cælo. Volitare cupiditate gloria. Ocyor Euro. Tardior testudine.

(Alii sic definiunt: Auxesis est cum verbo vel dicto utimur quod rei magnitudinem superare videtur. Ita Cicer. in orat. pro domo: Quibus tanquam gradibus mihi videor in cælum ascendisse, non in patriam revertisse, & pro Cluentio: Quod portentum Dii immortales, quod tantum monstrum in ullis locis, quod tam infestum scelus atq; immane, aut unde natum esse dicamus! Virg. Eclog. 7. Candidior cygnis, hedera formosior alba, Æneid. 2. Ferit aurea sidera clamor,